



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Monumenta Paderbornensia**

**Ferdinand <II., Paderborn, Bischof>**

**Francofurti ; Lipsiæ ; Norjbergæ, 1713**

IV. Illustrissimum Principem fundanda Academia paci, & tranquillitati  
publicae consultum ivisse.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29975**

sunt expertes, quid illis fiet, qui inferioribus leviter tincti, nullam partem graviorum attigerunt? Magnâ igitur ratione, Princeps Illustrissime, instituisti, cum provinciam accepisses refertam oppugnantibus Catholicæ religionis, vacuum propè iis qui pro dignitate ejus scita, ac decreta explicare possent; successori optimè eruditis hominibus septam & vallatam relinquere, qui illam omni doctrinæ genere, adversus quodlibet hostium genus propugnare, & tueri didicissent.

## C A P U T IV.

*Illustrissimum Principem fundanda Academia paci, & tranquillitati publicæ consultum ivisse.*

Quibus rebus perfecisti ut & Episcopi, cujus est sibi creditos homines erudire, & Principis, qui non sine causa gladium portat, præclarè muneribus perfunctus esse viderere. Tunc enim minus molestum est timore pœnarum ad veritatem amplectendam cogi, cum non defuerint, qui eam veritatem esse, quæ ostenditur; errorem verò qui abjici jubetur, liquidò docere possint. Itaque ubi & mens doctrinâ imbuitur, & voluntas potestate compellitur, prona est obedientia. Obedientiam consequitur pax illa, de qua alicubi Augustinus, cum disputaret contra Gaudentium, qui volebat Hæreticos, & Schismaticos Imperatoribus pœnas dare: *Regibus (inquit) ea qua secundum Deum sunt religioso timore*

*Lib. 3. contra Gaudentium circa finem.*  
*jubentibus quisquis obtemperat, timore incipiens, & dilectione proficiens, à Domino accepit pacem, non sicut pacem dat seculum. quoniam seculum dat pacem propter temporalem utilitatem: Dominus autem propter æternam salutem.*

Verùm, ut alibi docet idem sanctissimus Antistes: *Utitur etiam cœlestis civitas in hac sua peregrinatione pace terrenâ.* Cujus civitatis procuratio cum Christiano Principi, præsertim Ecclesiastico, sit commissa, & ipse *humanarum voluntatum compositionem, quantum salvâ pietate ac religione conceditur,*

*Lib. 19. de civit. Dei c. 17.*

*Ibidem.*



tuetur atque appetit, eamque terrenam pacem refert ad caelestem pacem: quae verè ita pax est, ut rationalis duntaxat creatura sola pax habenda, atque dicenda sit, ordinatissima scilicet & concordissima societas fruendi Deo, & invicem in Deo. Igitur, ut equidem Augustini orationem audio, Christiano Principi praecipuè propositum esse oportet, ut omnibus, quibus imperat, cum Deo atque inter se conveniat. Deinde hujus gratiâ, in iis quoque quae ad hanc vitam degendam pertinent, pax est Reip. concilianda, atque tranquillitas. Hæc igitur, Princeps Illustrissime, cum tui officii esse duces, quantum animo laboraris, ut omnis tui imperii regio otio ac securitate fruere, nemo est in ea rerum omnium tam rudis, ac peregrinus qui ignoret. Quantis enim curis, atque impensis egisti, ne ardente finitimis terris civili bello, idem populos tuos afflaret incendium? quàm sedulò semper honestam cum vicinis Principibus adversus prædonum vim, ac rabiem, societatem coire studuisti? quoties eorum ingentes copias, ne miserorum fortunas diripi, & corpora vexari patereris, pacto cum iis pretio, à finibus tuis arcuisti? quoties jam ingressos, & velut in hostili populantes omnia, atque vastantes immixtis copiis tuis cecidisti? quanto metu provinciam universam eodè die liberaisti, cum tuis auspiciis tuorum militum virtute, volitantia in conspectu hujus Urbis prædonum agmina, ad Benhusium vicum justis ultus es armis? Quid? cum ad novam-Becam oppidum, equestres copiae, ejus oppidi exitium, & vastitatem anhelantes, à tuis hominibus devictæ, hibernas nives suo sanguine cruentarunt? Quid ego ceteram tuam in omnes publicæ quietis perturbatores, auctoresque injuriarum justissimam severitatem commemorem? Itaque in ditionis tuæ terras aut tam validâ manu veniant oportet, ut pugnam non pertimescant, aut certè velut quendam prædonum scopulum devitent. Sed imprimis studio tibi semper fuit, ut Paderborna tuæ provinciæ caput, omni civili motu vacaret. Nam cum anno MDCII, mensè Februario gravis senatum inter, & nonnullos



nullos cives exorta esset discordia, cum senatus à civibus Reip. male gestæ accerferetur: cives quòd senatum in curia vi quasi in custodia tenuissent, indignisque modis affecissent, insimularentur, operam dedisti, ut omni vi, ac tumultu semoto, jure experiri mallent. Itaque vi. Kalend. Quinct. ejusdem anni de tuo consilio viros cum natalibus, tum juris scientiâ præstantes dedisti, qui causam universam cognoscerent. Interea verò cum contestatâ jam lite is annus esset in exitu, novorumque comitorum tempus appeteret, ac senatus quidem se in officio fore profiteretur, cives autem illi, duce, atque signifero Liborio Wichardo, homine ad res novas molientes acri, atque versuto, neque ab armis discederent, neque ullum senatus insectandi finem facerent, sapienter vetuisti, ne quorum nomina ex utraque parte delata essent, eorum in comitiis ulla ratio haberetur. Ibi verò incertum fuit plusne tuis consiliis ad pacandam, an illi furore ad perturbandam rempubl. incumberent. Ubi enim dies comitorum ineunte anno MDCIII. adfuit, ac de more in curiam viginti-quatuor viri, penes quos jus erat renunciandi senatus, convenerunt, advolat cum armata suarum partium multitudine Liborius, atque intentato, iis qui confederant, terrore, neminem, nisi ex suo suorumque voluntate, in senatum allegi sinit, & cui quemque magistratum mandari oporteat, ipse nominatim edicit. Verum non diu Liboriani hujus quoque, quem pro sua libidine creaverant, senatus injuriis temperarunt. Necdum enim eo mense elapso xvii. Kalend. Februarius is ipse senatus, supplici dato libello, graviter de iis est questus. Sed non defuit ei, qui illos contra morem, & instituta majorum eligendos curarat, quemadmodum eadem miseros importunitate frangeret ac domaret. Ut enim sibi jam pridem homines factiosos, audaces, egenos, ex ultima plebe devin-xerat, omni artificio allaborabat, ut hos omnibus in rebus dicto audientes haberet. Illi simul atque signum datum erat, cum telis veniebant in curiam: illi quæcumque ipse vel-



let assensu suo, & inconditâ vociferatione comprobabant: illi, si quis contrâ hiscere esset ausus, ad suum scilicet Catilinam deferebant, quos ille contumeliis, minis, atque interdum colaphis, & adacto cultro vel secum facere, vel certè obmutescere cogebat. Ita deterrimum quemque sponte; qui plus aliquanto videbant, metu ad suas partes adjunxerat. Adhæc, ut omnia, vel invito senatu, pro arbitrio gereret, novum viginti quinquevirum consilium, è suo illo grege, contra civitatis leges & jura creaverat, quorum operâ assequeretur, ut quæcumque ipsi placuissent, populus vellet jubereturque. Neque deerat homini, quamvis litterarum ignaro, popularis facundia, quâ in concionibus, quas frequenter ad suos habebat, utebatur, ut eum sui de coelo delapsum hominem quandoque, ne ipso quidem dissentiente, clamarent. Hunc perturbatum civitatis tuæ statum, Princeps, cum diutius ferre non posses, optaresque cives tuos, qui postremorum hominum dominatu premebantur, in libertatem vindicare, principiò VI. Kalendas Jun. ejusdem anni MDCIII. Senatum ac populum jussisti illos viginti quinque viros, quos contra leges, & vetera pacta, ad alendum improborum civium furorem, crearant, omni illâ potestate privare. At illi scilicet annitentibus Liborianis, non potestatem eis ademerunt, sed nomen duntaxat commutarunt, ut qui antea viginti quinque viri, iidem postea Delecti è populo dicerentur. Quid erat sui Principis auctoritatem ludos facere, si id non erat? Neque tamen, ut eras accenso infelices adjuvandi studio, spem curamque abjecisti. Animadverteras è classibus in quas tota civitas est tributa, nonnullam integram esse totius hujus perduellionis, & ex aliquot aliis complures, quos duntaxat cæterorum metus mutos effecerat. Spem igitur eras ingressus, hos, quibus aliquid reliquum erat sanæ mentis, ad divellendos sese, atque abrumpendos penitus ab omni facinorosorum societate posse impelli, si modò seorsim singulas classes alloqui, & sui officii admonere licuisset. Atque edixeras quidem, ut pridie idus

De.



Decembres ejusdem anni classes omnes civium, urbe egressæ suo quolibet certo loco mandata sui Principis acciperent. Senserunt Liboriani quid ageretur, & disseminato rumore evocatos à Principe adversus cives, ex ea provinciæ parte, quæ trans montes dicitur, homines armatos, qui civibus audiendo Principis mandato occupatis, urbem invaderent, non modò effecerunt ne quisquam prodiret, sed etiam ministro, quem ad eos allegaras, præcisè negarunt, se, qui in eadem causâ essent, posse disjungi. Quæ quidem à Liborianis, notis illis clamoribus jactabantur, cæteris interea, ut solebant, timore conticentibus. Addebantur in te, Princeps illustrissime, dicta acerba, & minæ: ac ne cui civium liceret ad arcem tuam commeare, quatuor ipsos dies portæ omnes civitatis clausæ, & custodiis sepræ tenebantur. His cognitis, cùm inter omnes constaret horum omnium malorum opificem, atque architectum esse Liborium, ratus eò abstracto cæteros ad frugem posse corrigi, missis ad cœnobium Abdinkhoffensè gravissimis è tuo consilio viris, eo accito cùm veteri, tum novo senatu, illum vel noxæ dedi, vel dum in judicio objecta sibi crimina dilueret, ab ipsis haberi in custodia jussisti. Senatus cùm in tam æquis postulatis Principi reluctari non posset, essetque ipse à Laboriana factione creatus consul non obscure homini iratior, tamen arctiorem custodiam, & vincula deprecati, censuerunt satis fore si in curia tantisper attineretur. Vocatus ille in curiam primùm tergiversari, deinde cùm iterarentur mandata, aperto capite illudere, & minas de more jacere. ad extremum cùm senatus, ut saltem in speciem mandata, quæ acceperat, exhaustis videretur, missis apparitoribus hominem ut imperata faceret, vellet cogere; ille cùm domum suam armatis hominibus cinxisset, ac præter minora tela etiam ex ipsis urbis moenibus advecta aliquot minora curulia tormenta, pro fenestris suis collocasset, non dubitavit in ministros Reipubl. explodere. Sed hoc quamvis indignum facinus inusitatâ quâdam audaciâ, atque impudentiâ haud multò post



cumulavit. Habebatur fortè senatus, cùm Liborius cum frequenti suorum manu, quorum singuli telis erant accincti sub pallio, in medium confessum venit. Præfatus, liquere sibi jam illud esse, quando confociari totius animos civitatis, & coalescere oporteat, orat senatum ut jam tandem aliquando decernat, velit necne suis, ac suorum consiliis parère. Cùm senatus cunctaretur, Liborius cum suis procumbit in genua, ac suos quidem jubet tertium orationem dominicam pronuntiare, senatum verò interea statuere, quid sibi faciendum putet. Et jam belli isti precatores, reductis palliis, tela ostentabant, quibus, nisi mos eis esset gestus, in senatorum cæde bacchari certum erat. Quid quæris? Senatus tam præsentis periculo perterritus obsignatis tabulis confirmat, se in omnibus, quæ ad Liborium, ejusque partes pertinerent, cum ipso esse facturos. Has tabulas cùm accepisset Liborius reverenter exosculatus, gratiis actis, ac decem thaleris in vinum senatui, nomine populi donatis, ita discessit ut qui præclare sibi rem gessisse videretur. Ex eo tempore in pejus omnia ruere cœperunt, eoque res evasit, ut Januario anni MDCIV. senatu ex Liborianis creato, ipse Liborius consul renunciaretur. Quid in eo consulatu ab improbis hominibus, Princeps Illustrissime, non pertulisti? Antiquissima pacta, Principumque constitutiones violatæ: ademptum tibi per summam injuriam supremum in urbe rerum criminalium arbitrium: cives, qui aliquid contra consulis audaciam mutire essent ausi, inusitatis supplicii vexati: interdictum severè omnibus ne ad te appellare, aut confugere auderent: conducti novi tribuni, signiferi, alique rei bellicæ administri: tormenta pro mœnibus posita, ut, quod dicere solebat Liborius, tibi Principi suo, vel ad mensam accumbenti negotium facesserent. Quid quòd non erubuit primariæ Ecclesiæ nobilissimo Canonorum Collegio denunciare, ut alius sibi Antistitem providerent. Nonne eosdem Canonicos, ceterosque omnes Ecclesiasticos, ac religiosos homines, etiam cùm nihil urbi impenderet adversi,

pu-



publico edicto ad tympani sonitum, propositâ fortunarum, ac vitæ jacturâ, arma sumere, & in excubiis militari more agitare compulit? Nonne eosdem omnes, atque adeò tuos quoque, princeps Illustrissime, consiliarios, & qui Reip. causâ ad provincialem conventum cum mandatis mittebantur, ipsûm quoque totius provinciæ quæstorem, pedem ex urbe efferre suo injussu vetuit? Ac sperabas quidem ordinum totius provinciæ auctoritatem, qui v. Non. Mart. in conventu Dringebergensi adfuerant, aliquod apud eos pondus habituram, qui per idoneos homines, Paderbornenses etiam atque etiam admonuerant, viderent, ne quod eorum gratiâ tota provincia detrimentum caperet. At illi parum ab eis pacati retulerunt, neque obscure cognoverunt deliberatum illis esse, & protectorem sibi asciscere, & cætera quoque hujus provinciæ oppida, si fieri posset, in societatem perduellionis attrahere. Interea ipsis auctoribus rumor incessit, fore ut urbs obsidione premeretur, quem eo consilio serebant, ut Ecclesiasticos in urbe retinerent. itaque circa idem tempus, non est veritus Liborius primariæ, & Cathedralis Ecclesiæ Canonicis minari, si urbe excessissent, nullam maxime templi partem integram esse mansuram. Nimirum jam omnia in urbe poterat, cujus crudelitatem multi jam Ecclesiastici, multi cives ut vitarent, ex urbe se eduxerant. cæteri in perpetua formidine versabantur. Etenim cum ipse clandestinis habendis coetibus omnia fermè perfecisset, tamen assecutus summum inter cives imperium, adeò non ferebat eos coire, ut nullus paullò melior civis alium convenire posset, quin si ad Liborium à suæ factionis hominibus, quos in hæc talia perquam intentos habebat, ejus nomen esset delatum, compedes, gravesque pœnas pertimesceret. Circa idem tempus vulgato jam illo, de quo dixi, rumore, quatuor viri delecti, qui arma & præsidia Liborianæ dominationis curarent, unusque ex iis missus, qui pecuniam, copiasque contraheret. Hæc circa Pascha anni MDCIV. gerebantur, quo tempore propè jam sepulta erat, Princeps  
Illu-



*Ep. 50.* Illustrissime, tuæ salus civitatis, nisi eam admirabili tuâ providentiâ, ac celeritate excitasses. Quam ad rem adjumento in primis fuit ille cum regii sanguinis splendore, tum bellicæ virtutis gloriâ Illustrissimus Joannes Frisiæ Orientalis, & Ritbergæ Comes, Esenæ, Stedesdorpi, & Guitmundæ Dominus, in quem verè cadit illud S. Augustini de Bonifacio Comite, eum de virtute militari servire fidei, quam habet in CHRISTO. Tamen si enim tota hæc, quam adhuc descripsimus, seditio, non religionis causâ præcipuè erat exorta, quia tamen ejus auctores omnes Catholicam religionem execrabantur, jamque decreverant, nullum præterea Catholicum in senatum legi oportere, certum est eos suis illis, quæ commemoravimus, sceleribus eò intendisse, ut si res procederet, Catholica Religio his locis funditus interiret. Hoc cum vir sapientissimus intelligeret, facile colligendarum copiarum, & seditionis opprimendæ provinciam suscepit. Itaque tamen febri laboraret, quia tamen omnis mora perniciem potuisset asserre, silentio noctis profectus, ix. Kalend. Maii appositâ suis ipse manibus pulverariâ machinâ, nisus est, intimam urbis portam disturbare (nam duas jam & pensiles crates nullo negotio dejecerat;) sed cum ejus impetu effractis tantum aliquot asseribus, non esset aditus patefactus, excitique Liboriani, aliquot è militari turba, de moenibus glandibus plumbeis trajecissent, ingenti animi constantiâ Comes, cum jam febris accessione conflictaretur, contempto manifesto vitæ periculo, suos à fuga retraxit. Hæc ejus constantiâ erecti bonorum civium animi, qui ad id loci Liborii oppressi dominatu tacuerant, ac divisâ in factiones civitate, induciæ tandem & comæatus ad te illustrissimum Principem est postulatus. Interea majora tormenta advehi iusta, & ad acriorem obsidionem apparatus fieri, cujus metu ad extremum vi. Kalend. Maii Urbs, nullius effuso civis sanguine, est dedita, ipseque perduellionis auctor, à civibus hominis immanitatem detestantibus, Victori traditus. Non possum hoc loco committere quin-



quin impudentia quorundam mendacia commemorem, quorum gratiâ hæc ipsa, ex actis publicis, paullò pluribus sum persecutus. Etenim cùm is, de quo adhuc locuti sumus, Liborius Wichardus in carcere vinculus teneretur, ac Lutheriani Prædicantes, qui templum forensè S. Pancratii antea tenuerant, fugâ essent elapsi, ipsius rogatu quidam Cathedralis Ecclesiæ Vicarius, & è Societate JESU P. Fridericus Wachtendunkius hominem adiit. Hujus colloquiis permotus, tandem ad Catholicam Ecclesiam se contulit, Catholico ritu sua peccata confessus, & sacrâ Eucharistiâ munitus est, ac non modò pro tribunali, cùm jam latâ sententiâ damnatus esset, verùm etiam cùm jam inibi esset, ut ultimum supplicium lueret, Catholicam fidem quam esset amplexus, usque ad ultimum spiritum retinere velle professus est. Hæc ejus vulgatâ conversione irritati Prædicantes, eam apud rude vulgus incredibilibus mendaciis obscurare conati sunt. Edidit enim contra P. Friderici de hac re commentarium quædam nugamenta, Joannes Nigrinus, ad D. Thomæ Sufati Prædicans, quibus pro vestibulo apposuit Philippi Nicolai præfationem. Eâ præfatione ex Gangulphi Hergundi, ut ait, libris quatuor de rebus Paderbornensibus hæc narrantur, ex quibus quàm sit hoc hominum genus ingeniosum ad comminiscenda mendacia quivis intelligat. Primò igitur v. Kalend. Maii narrat detruso in carcerem, ac de pede suspenso, papillas abscisas, ac fervens oleum vulneribus, naribus verò liquoris, è facium halitu, ardore ignis expressi, quem Germani vinum ardens, sive adustum, Itali aquam vitæ appellant, tres ampullas infusas. Atqui ex actis publicis certum est, Liborium consuetas quoque quæstiones deprecatum, omnia crimina fassum esse. Deinde refert Prædicans, Pridie Kalendas Maii, cùm se Liborius in judicio, magno animo defenderet, abs te, Princeps Illustrissime, per duos ministros jussum esse sine judicio, aut sententia e vestigiò foras ad supplicium rapi. Atqui constat Liborium viâ & ordine, uti jura Cæsarea præcipiunt, interrogatum,



gatum, auditum, omnia palàm factum, ac denique damnatum, supplicem factum, ut humari posset. Id quod plurimorum, qui iudicio interfuerunt, testimoniis compertum est, sicut & illud quod de professione Catholicæ fidei antea narravimus. Atqui Prædicans faciat eum, cùm duceretur, atque è duobus Jesuitis sollicitaretur, respondentem, non sentire se cum eis, fidem se habere, quam nemo sit erepturus. Addit illud quoque, Liborium cùm sibi ultrò ad supplicium vestes detraxisset, ad te, Princeps Illustrissime, conversum, sic locutum esse: Aedesum Episcopo THEODORE, & pota largiter sanguinem meum, quem tamdiu sicuti. Nimirum Lutherianum magis hæc oratio decebat, quàm salutatio Angelica, quam qui supplicio interfuerunt piè pronunciatam à Liborio, magno consensu testantur, atque etiam ad implorationem DEI matris adjunctum: Sancti Angeli, & omnes electi DEI orate pro me. Sed Prædicantibus majus flagitium est precari Sanctos, quàm calumniari Principes. Queritur postremò Prædicans de mortuo hæc vulgari, qui de se nihil testari possit. At testari possunt tot viri honestissimi qui interfuerunt, & postremas morientis voces acceperunt, Scilicet unum hoc istis hominibus curæ est, ut rudem populum quibuscumque artibus sibi devinctum teneant: quid prudentes sentiant, nec flocci faciunt. qui facile intelligunt, eis, qui audeant mentiri populo, hominem palàm, audiente populo salutationem Angelicam pronunciantem, maledixisse suo Principi; eisdem non deesse artes, quibus infelici plebeculæ persuadeant sacras litteras aliquid dicere, quod Spiritui Sancto nunquam in mentem venerit. Certè id unum suo illo libro egit Nigrinus, neque tamen eo contentus, cùm metueret, ne parum esset in Bibliis præsidii, opem quoque à famosis libellis accersit. Prædicantibus enim pluris est Pasquillus, quàm S. Jacobus Apostolus. Itaque si quid è S. Jacobo eis objicias, in promptu est illud Lutherianum: Non est in canone: sin autem è famoso libello mentiaris Henricum Jesuitam Antverpiæ MDCI, XII. Aprilis publicè exutum,

*Nigrinus*  
p. 174.



stum, nefandi flagitii poenas dedisse, id nimirum perinde atque Evangelium credi oportet, tametsi Senatus Antverpiensis obsignatis, & palam editis litteris, adeoque tota civitas testetur, nullum unquam Jesuitam Antverpiæ reum actum esse, nullum supplicium luisse. Sed quid ego hujus diei candorem atque læticiam Nigrini mentione infusco? Ad te redeo, Princeps Illustrissime, quem dicere institueram, condendâ Academiâ, paci & tranquillitati publicæ consulisse. Docuerant enim te civiles hæ turbæ, eos qui rebus novis studeant, hominibus ferè rerum omnium ignaris uti, quod ii ferè impetu quodam animi, & furore ad deteriora rapiantur. Qui verò docti sunt, præterquam quòd liquidius res omnes intelligant, longèque quid ex quaque oriri possit incommodi prospiciant, tum verò certissimum est, quod ab Agellio scriptum est, qui bonas artes sinceriter cupiunt, appetuntque, eos esse vel maximè humanissimos. Itaque Liborius noster hominum legendi, scribendi rudium operâ plurimum utebatur, quem compertum est palàm in suis illis cœtibus concionantem, veteres quasdam litteras, quas nescio quid ad dignitatem, & libertatem civitatis pertinere diceret, palàm plebi recitasse, ac subinde gratulatum esse, ea tempora obtigisse huic urbi, ut non minùs litterarum imperiti, ac Doctores intelligerent. Tum verò nominatim quempiam percunctabatur omnium abjectissimum, ecquid hæc intelligeret? cui ille, tametsi postea apud alios, si seorsim interrogaretur, se nihil intellexisse fateretur, tamen in illo conventu annuebat. Ita homines ignaros assuefaciebat, ut quicquid ipse protulisset, licet cujusmodi esset ignorarent, tamen continuo suâ acclamatione comprobarent. Qui verò erant eruditi, quia numero vincebantur, ne alios sui erroris admoneant, vulgaris furoris formido retardabat. Quare, si unquam aliàs, eo tempore cognitum est, ex usu esse Reip. ut abundet hominibus doctis, atque intelligentibus, ut inscia plebs eorum & doctrinâ informetur, ne erret, & multitudinè reprimatur, ne insaniat. Faciunt verò ad id plurimum ea gymna-

*Not. Att.  
lib. 13.  
c. 15.*



fia quæ intelligendi vim, ac prudentiam plurimum exacuunt, atque adolescentum animos quàm longissimè à temerario & furioso vivendi more, ad rationis leges & instituta traducunt. Deinde quæ cum honestissimis litteris, veræ religionis, & sanctimonix curam, quàm arctissime copulant. Ubi enim sunt de religione lites, atque dissidia, diuturna pax esse non potest. Ac ne quidem ubi falsa aliqua disciplina, verâ religione abjectâ, sola retinetur. Proprium enim est falsæ doctrinæ, ut constare sibi non possit, neque leviores solent esse errorum inter se, quàm cum veritate conflictus. Quæ igitur in urbe omnes idem inter se, & cum iis, qui toto orbe, omnibus ætatibus pietate floruerunt, de divinis rebus sentiunt, habetque magnam eruditorum hominum facultatem, eam certum est præstantibus conservandæ publicæ quietis, & colendæ concordix adjumentis abundare. Iccircò Liborius noster, quo tempore maximè perturbandæ atque pervertendæ civitati erat intentus, severo edicto vetuit, ne quis adolescens, qui ad Collegium Societatis JESU, discendi causa, itaret, cujusquam civis hospitio uteretur, neve cives eò liberos suos mitterent, qui contra fecisset, is quinquaginta taleris multaretur. Nimirum ingens erat inter illa quæ rudi plebeculæ, in seditiosis illis conventibus venditabat, & hæc quæ in Catholicis, & bene institutis gymnasiis juventuti præcipiuntur intervallum. Ibi enim popularis licentia, effrenata peccandi impunitas, & rerum omnium perturbatio quærebatur. Hic DEI timor: magistratum veneratio, atque observantia: modestia, & pacis amor, teneris mentibus inferitur. Sed non providebat infelix, quòd adolescentes ipsius minis, atque edictionibus prohibiti, in scholis à magistris non didicissent, id è tristi ejus exitu, & justissimo supplicio esse cognituros. Quando enim liquidius demonstrata est furiosarum ejus concionum vanitas, quàm cum stans ad infamem columnam, omnia sui consulatus probra objectantibus, os præbebat: cum clausi mœnibus, & sine sua tessera portis egredi vetiti Ecclesiastici: cum excruciatu hiber-



hiberno cœlo, gravissimo gelu cives: cùm mulier quæ uterum ferebat, in publico, ubi ad ludibrium vulgi erat exposita, abortire coacta jactabatur? Quid? ipsum ejus supplicium nonne conjunctum fuit cum evidenti testificatione divinæ de his rebus voluntatis? Etenim Liborius, qui, ut demonstravi, Pratore, quem à Principe creari mos est, excluso, summam sibi in puniendis delictis potestatem arrogabat, VII. Kalend. Martii anni MDCIV. inopem civem Paderbornensem Jodocum Dulmanium, miserrimè, & obscœnissimè tortum, præcipiti sententiâ, de infelici ligno, quod nuper ipse posuerat, suspendit. Altero post mense, pridie Kalend. Maii, cùm Liborius meritas pœnas daret, hîc ipse suspendiosus, manare palam ubertim ex ore, naribus, manibus, pedibus, oculis recentem sanguinem, ipsum sesquidiem, clarè à tota multitudine est visus. Accessit quoque ad spectaculum Illustris Frisiæ & Ridbergæ Comes, tantæ rei gravissimus testis, tuque ipse, Princeps Illustrissime, adhibito tabellione, & idoneis testibus, rem publicis tabulis mandari jussisti. Quæ res documento sit omnibus, ne adversus magistratus legitimos, & Principes temerariam plebem commoveant: ne alieni sanguinis sint appetentes: ut suo dolori, & insolenti vindictæ cupiditati frenos injiciant: ut homines se meminerint, inter homines versari. Sed nimirum, Princeps Sapientissime, grave tibi & luctuosum visum est, hoc, è tam tristibus, & cruentis exemplis, tardum nimis discendi genus. Mavis jam indè à prima pueritia sic informari cives tuos, ut DEO, Rationi, Magistratibus, Legibus, Parentibus morigerari, comprimere appetitiones, domare iracundiam, omnibus se virtutibus & bonis artibus ad Reip. salutem, commoditatemque exornare consuecant.